

novisse speciem illam *turbationis*, *morbū*, seu *laesione* p̄ae-sentem, ut ad illam quoque remedia recte exigat & adaptet.

*Primum* quod attinet, accepit illud utique, hoc nostro seculo, imo propiore maxime semiseculo, optima adminicula, tam in *Anatomiae* diligentissimo studio, quam *Chymiae* quoque solertiore cultura. Quibus utrisque tam *humorum crassis*, *motus* & *viae*, quam *solidarum* partium *structura*, *connexio*, *situs* & *usus*, admodum luculenter, per ipsos *sensus*, rationi innotuerunt. Cum quibus rebus, si pauxillum adhuc illud, quod movet, ita recenseatur, ut potius, quid *agat*, quam *quid sit*, & *quomodo agat*, bene & attente pensetur, atque ipsi reliquae dictae *scientiae* adiungatur, tunc habemus sane hanc *scientiam sanitatis* ex amissim completam.

*Secundum* quod concernit, absolvitur illud vera & un-diquaque plena recensione omnium *circumstantiarum*, quae singulis morbis *perpetuo* coniunguntur, *perpetuo* eosdem consequuntur, aut ad minimum frequentissime vel antecedunt, vel succedunt. Haec recensitio, cum fieri a nemine possit, nisi tali, qui in multa *Praxi* constitutus, & simul *definitionum* & *descriptionum* medicarum, quin totius antedictae *Theoriae physico-medicae*, qua *sanum corporis statum* calleat, egregie imo abunde instructus sit; haec vero conditio non cuivis eveniat, neque consultum semper fit, expectare, donec e propria *experientia* discamus: Respiciendum proinde ad alia subsidia, quibus propriae inopiae succurratur.

Neque vero ea fuit *maiorum nostrorum* socordia, ut in rebus tanti momenti nihil attentionis aut circumspectionis adhicerent; neque illa *ingenii* ignavia, ut res, tam manifeste & saepe ipsis occurrentes, non agnoscere, aut ut ad rem pertinentes contemplari potuerint: Nequaquam; sed potius, cum e tot viris, prioris demum seculi, qui *Medicae doctrinae* & *artis Syntagmata* conscribere sategerant, plerique profecto in hoc suo labore specimina manifesta dederint, multiplicis eruditio-nis,